

rochiarum tam spirituali, quam temporali, adiecerat, ad quarum singulas responsio praecisa breviter exprimi & inscribi dilucide debuit; quas ita responsis auetas privatim ipsi reddiderunt. Inter quaestiones illas reperiuntur etiam sequentes: *Quis fuerit Cultus Divinus, quale habitum officium ante Lutheranismum, & post, eo iam invalescente? An aliquae praebendae divulsaे, quot & quales, quomo- do, quando, qua & cuius autoritate? Annon aliqua beneficia sint mortificata, sive exstincta, quot & quae, a quibus, qua autoritate? Annon similia devenerint in manus alienorum, & quorum, an Catholicorum, an Acatholicorum? Suggeratur prudens consilium, quibus modis, vel mediis redditus & proventus recuperari & in meliorem statum reduci possint?* Postero die proposuerunt sibi quidem, Processionem instituere solennissimam; quod & die praecedenti Rector Iesuita publice pro concione dixerat, se nempe, licet Lutherani id aegre ferant, tamen per totam urbem sequenti luce corpus Christi circumgestare velle. Ast, Deo ita gubernante, saeva tempestas eo die exorta ab hac pompa solenniori eos prohibuit, adeo, vt, vix vna platea spectaculo isto foedata, in Templum Cathedrale, vnde egressi, confestim redire sint coacti. Tempore meridiano Gen. Vicarius publice concessionem de Poenitentia habuit Gallicam, vbi tamen admodum pauci parochi aderant, plurimis quippe Gallicae linguae ignaris. Tertio die plerique hinc discesserunt, atque ita Synodus illa, quae apud Pontificiorum Parochorum cordatores partim risum movit, partim, ob Leges eiusmodi paelectas, indignationem, est soluta. D. OBRECHTVS tandem d. $\frac{2}{3}$ April. tanquam Praetor Regius publice in Curia officio suo est praefectus, quem quidem Senatores, sed cum Protestatione, receperunt. Idem die eodem Dn. D. BEBELIO, & quidem iam altera vice, publice sese opponebat, &, in Disputatione tunc defendenda, quam de Davide populum numerante conscripserat Respondens, Romano-Catholicos Pontificiorum & Papistarum nomine indigitari, aegre ferebat, praetendens, ea nomina, ex hostili animo profecta, hoc tempore, quo Rex Christianissimus Religiones redunire omnibus modis tentaret, vt adeo

O

Impe-